


129 Affines in primo gradu sunt sequentes, in linea recta ascendente socer: uxoris, vel Mariti pater, Suegro --- Socrus: uxoris, vel Mariti Mater --- Suegra --- Vitricus: vir Matris, Padrastro --- Noverca: uxor patris Madrastra. --- In linea recta descendente. *Gener*: Maritus filia: Yerno. --- Narus: uxor filij: Nucra --- Privignus: filius ex alio conjugē: Hijatro. --- Privigna: filia ex alio conjugē: Hijatra. --- Privignus: etiam is dicitur, qui vulgō conceptus ex ea natus est, quæ postea alij nupit. *Hispānē*: *Entenado*. --- In linea obliqua sunt Levir: mariti frater, *Cuñado* --- *Gloss*: Mariti Soror: *Cuñada*. --- Uxorius: uxoris frater, *Cuñado* --- Fratris: Fratris uxor, *Cuñada*. --- Sororius: Sororis Maritus, *Cuñado*. Congeneri: duarum uxorum mariti, Concuños. --- Janitricis: duorum fratrum uxores Concuños.

Et licet quando distantia est inæqualis sola remotior gradum consanguinitatis constituat, tamen, quia in dispensationibus ex dispositione S. Pij V. Explicari debet gradus stirpiti proximior ex sequenti schemate hoc facile percipies.



In hoc ergo schemate, Joannes, & Maria sunt in primo gradu, ut ibidem assignatur. At verò Joannes, cum Magdalena, quæ est remotior à Petro stirpiti, est in primo secundo; quippe Magdalena duobus gradibus à Petro stirpiti distat, eodem stirpiti dempto. Joannes ipse cum Rosa est primo gradu in tertio conjunctus: cum Margarita, primo in quarto. Cum Lucia, primo in quinto; ac proinde impedimento Ecclesiastico caret, consequenterque, nec primus gradus debet exprimi, nec esse necessaria dispensatio: quia cognatio extra quartum gradum non consideratur ab Ecclesia. Similiter Philippus est secundo gradu in tertio conjunctus cum Rosa; secundo in quarto cum Margarita: secundo in quinto cum Lucia, ac proinde sine impedimento. Antonius est tertio in quarto gradu conjunctus cum Margarita. Tertio in quinto, ac proinde in nullo conjunctus cum Lucia. Bernardus est quarto in quinto gradu, ac proinde in nullo conjunctus cum Lucia. Josephus cum filia Lucia in nullo gradu, qui matrimonium impediatur est conjunctus, siquidem, nec cum Lucia est conjunctus in gradu, qui de jure Ecclesiastico impediatur matrimonium. Idem quod dictum est de viris eos ad feminas comparando, de feminis relatè ad viros dicendum est.

## TIT. XV.

## De Frigidis, &amp; maleficiatis, &amp; impotentia coeundi.

130 HÆC materia ob ejus libri citatem caute est tractanda, & tantum ne noceat, dum vis prodesse, videtur. Duplex potest considerari impotentia alia generandi ex vitio accidentali, vel naturali proveniens, ita ut etiam supposita copula perfecta per veram seminationem viri intra vas feminae, non sequatur generatio: sic steriles, & senes perfecte possunt coire, & feminare, ac proinde fieri una caro, licet non possint generare, ex defectu seminis natura sua proficisci, aut fecundi. Et quidem præter Rubricam non loquitur de hac impotentia; steriles enim cum sint copulae conjugalis capaces, etiam matrimonium contrahere possunt, cum in ipso obtineatur finis secundarius matrimonij, qui est remedium concupiscentiæ, licet non obtineatur primarius in prolis generatione consistens. *D. Thom. in 3. p. Suppl. q. 58. art. 1. ad 3.* Sic validum fuit matrimonium inter Zachariam, & Elisabeth, licet steriles essent. *Luc. 1. v. 6.* Nec Ecclesia ullum matrimonium ob sterilitatem dissolvit. *D. Thom. in 4. D. 34. q. un. art. 2. ad 3. Sanch. de Matrim. lib. 7. D. 92. n. 26.* Similiter senes, si verum possint emittere semen, possunt contrahere; quia licet tale semen sit regulariter infecundum, hoc per accidens est ex defectu caloris, qui arte Medica potest juvari. Nam Uladislaus Rex Poloniae, cum nonagenarius esset, habuit filios Uladislaum, & Casimirum. Adeoque Jure Canonico, & Civili sunt correctæ Leges Julia, & Papia, quæ viros sexagenarios, & feminas quinquagenarias à matrimonio excludebant. *c. 14. 27. q. 1. l. 27. c. de Nupijis.* Si verò, ita exhausti sint, ut copulam nequeant habere, nec ad eam nulla arte juvari, invalidum erit eorum matrimonium. Cum non possint ad copulam, ut potè ipsis impossibilem obligari. *Barb. in c. 2. l. 1. n. 6. Sanch. de Matrim. l. 7. D. 92. n. 24.* Etiam in articulo mortis constitutus potest matrimonium contrahere, sic testante praxi Ecclesiæ, tum ut filij habiti ex concubina legitimentur: tum ad consulendum infirmi saluti spirituali. In ipso namque vera est potentia,

licet per accidens sit impedita. *Sanch. de Matr. l. 7. D. 105. n. 3.* Nec est impotens, qui partem seminis, licet non totum potest in vas feminae fundere. Nam hoc sufficit, ut fiant una caro, & valeat matrimonium. Similiter mulier, quæ semen intra vas potest recipere, licet non possit retinere, valide contrahit; sterilis censetur, non tamen impotens. Si mulier nequeat parere sine vitæ periculo, vel non nisi factum mortuum, cum apta sit ad copulam, valide contrahit: Imò, & licet, si alias adesse periculum succubendi tentationibus carnis. Si vero non adesse, illicite faceret talis mulier se mortis periculo exponendo. *Sanch. de Matr. lib. 7. D. 92. n. 28.*

131 Impedimentum ergo dirimens, & de quo præter Rubricam intelligitur tantum est impotentia coeundi, quæ ex vitio naturali, vel accidentali impedit carnalem commixtionem maris, ac feminae, quæ fit per valis femine penetrationem, & seminis in illud effusionem. Nec sufficit, ut detur potentia coeundi, quod erigatur membrum virile, & quod possit claustra virginea aperire, ut patet in Eupuchis, qui licet possint cum feminis carnaliter commisceri, non habent potentiam coeundi, cum non possint seminare; quamvis emittant humorem æquum à ratione seminis omnino diversum. Nec sufficit, quod vir possit semen ex languido membro effundere, si non erigatur, ita ut possit cum femina commisceri, ita ut fiant duo in carne una. *Ponce de Matr. lib. 7. cap. 60. n. 3.* Impotentia alia est naturalis, alia accidentalis. Naturalis est, quæ ab ipsa natura procedit, & est, quali congenita homini. V. g. si membris ad copulam necessariis careat, vel ea habeat improporcionata: & hæc regulariter est perpetua. Accidentalibus est, quæ ex aliquo accidenti provenit. V. g. ex castratione, vel ex intemperantia humorum per excessum frigoris, siccitatis, caloris, vel humiditatis, vel etiam ex morbo malefico demonis, vel arte hominum. Deinde impotentia alia est absoluta, quæ scilicet, cum omnibus personis alterius sexus impedit commixtionem carnalem: quæ provenit ex defectu partium genitalium maris, quia caret testibus, vel semine, vel si ipsi non careat, habeat tamen testes, & semen ineptum: vel quia ob malam conformationem partium non potest penetrare vas femineum: vel provenit ex temperamento nimis frigido, ita ut ex



defectum spirituum ad copulam, & seminationem excitantium non possit coire, vel ex temperamento nimis calido, ita ut semen effundat nimis propere, ante quam vas penetrat. *D. Thom. in 4. D. 34.* Vel etiam provenit ex foeminae arctitudine, si ita arcta est, ut semen recipere nequeat intra vas: vel etiam si ex nimia foeminae latitudine nequeat cognosci, ut defacto accidisse testatur *Joan. Andr. apud Greg. Lop. in L. 2. tit. 8. p. 4. V. Tan estrecha.* Vel ex maleficio demonis, vel ex intemperie aeris, morbo, & alijs causis extrinsecis. *L. 1. & seqq. tit. 8. p. 4. & ibid. Greg. Lop. Sanch. de Matrim. lib. 7. D. 92. & seqq. Latè Paulus Zachias in QQ. Medico Legal. Impotentia tamen aliquando est tantum respectiva, quae scilicet, respectu alicujus, vel aliquarum, non vero respectu omnium personarum diversae sexus commixtionem carnalem impedit. Et haec provenit ex maleficio, ut certa persona non possint commisceri. *L. fin. tit. 8. p. 4.* Vel ex improportione partium genitalium utriusque, vel ex dispositione corporum, & humorum, ex passione animi, ex odio; v. g. Imò, & amore nimio. Alia est temporalis, quae scilicet, auferri potest per media naturalia, & licita, sine miraculo. *c. 6. b. 1.* Et haec provenit ex defectu, vel excessu aetatis, quia persona, vel nondum est apta, ut in impuberibus accidit: vel jam non est apta ad copulam, ut in decrepitis contingit. *L. 2. tit. 8. p. 4.* Alia est perpetua, quae scilicet, non potest tolli per media naturalia, & licita, sed solum per miraculum, vel artem Magicam, aut cum periculo, & damno vitae. *c. 6. b. 1. ibi: Nos attendentes, quod impedimentum illud non erat perpetuum, quod praeter divinum miraculum per opus humanum, absque corporali periculo potuit removeri.* V. g. si vir esset frigida naturae, vel foemina sit adeo arcta, ut non possint commisceri. *L. 2. tit. 8. p. 4.* non tamen censetur perpetua, quae solum tolli potest per morbum gravem, & molestem, dum tamen sit sine vitae periculo, *c. 6. b. 1. ut contra Sylvest. & alios tenent Sanch. L. 7. D. 93. n. 18. Et alij apud ipsum Barbof in c. 6. b. 1. n. 13.* Qui caret testibus, vel a natura, vel ex accidenti, ut Eunuchi, castrati utroque teste carentes sunt impotentes. Nam licet possint vas foemineum penetrare, & aliqualem humorem fundere, non habent verum semen generationi aptum, ac proinde nequeunt matrimonium contrahere, cum sine*

primarium matrimonij nequeant obtinere, quin nec secundarium, qui est concupiscentia remedium: nam hic finis, non per quamcumque commixtionem, sed per copulam, nec ex se ad generationem aptam debet haberi. Et sic contra plures antiquos tenent, tale matrimonium esse invalidum. *D. Thom. Joann. Andr. Toled. Sanch. de Matrim. lib. 7. D. 92. Goniz. in c. 5. b. 1. & habetur expressè in L. 6. tit. 2. L. 4. tit. 8. p. 4. & ibid. Greg. Lop.* Et hoc denique declaravit *Sixt. V. ann. 1587. in Const. Cum frequenter.* Spadones, qui uno tantum testiculo carent, sunt potentes; siquidem in eo testiculo remanet unita virtus duorum ad generandum. Tibij, seu Thialij, quibus testiculi sunt attriti, possunt aliquando verum semen emittere: ac proinde contrahere. Curatus ab hernia per sectionem, ita ut uterque testiculus sit reconditus in inguine, & cum vilceribus insutus potest contrahere. Eunuchi, de quibus legitur, contraxisse matrimonium, non erant castrati: sed per Eunuchos in scriptura intelliguntur quidam Ministri Regij. *Lac. lib. 6. p. 3. n. 789. & alij. Sanch. non solum impotentia absoluta, sed etiam respectiva potest esse perpetua, quando inter tales personas non potest tolli impedimentum aliquo medio naturali, & licito; v. g. si foemina sit arcta, & vir sit valde pinguis; ita ut illa possit alij viro minus pingui, & ille alij foeminae magis late conjugij, & commisceri. Et videtur haberi in c. 6. b. 1. Et clarius in L. 3. tit. 8. p. 4. ibi. Porque parese manifestamente, que el embargo, que era entre ella, è el primer marido, duraba por sempre. Scot. Henric. Valent. Sanch. de Matrim. lib. 7. D. 93. n. 5. Pence, lib. 7. cap. 61. n. 2. contra D. Thom. in 4. D. 34. q. un. art. 2. ad 5. Et ibid. D. Bonav. Innoc. Sylv. Sor. & alios. Si vir vas foemineum penetrare non poterit, in introitu illius semen effundat, cujus pars aliquando per accidens attrahatur à matrice, & intro mittatur, cum talis seminatione per se non sufficiat, ut tales conjuges modo naturali una caro fieri censeantur; adhuc impotens credendus est. *Lacrix, lib. 6. p. 3. n. 793.* Ego tamen non audeam, tales separare, nec matrimonium declarare nullum, cum possit uterque finis ipsius per talem copulam obtineri.*

132 Aliquando impotentia antecedit matrimonium, aliquando subsequitur: in dubio tamen praesumitur praecedisse; *arg. t. fin. b. 1.* Nam ex praesenti pra-

praesumitur praeteritum; *arg. c. 3. c. 6. c. 9. de Praesumpt.* Nec talis praesumptio nocet favori matrimonij: siquidem tunc ex eo nequit sequi ejus finis, scilicet, bonum prolis, nec concupiscentiae remedium. Sic *Hofstius. Abb. Joann. Andr. Sylv. Henric. Laym. L. 5. tr. 10. p. 4. cap. 11. n. 3. Gacta, & Greg. Lup. in L. 5. tit. 8. p. 4. V. De tal embargo* ubi ex L. 4. antecedenti probat, quod impedimentum in dubio praesumitur praecedisse contra *Casropal. tr. 28. D. 4. p. 14. §. 7. num. 5. Sanch. de Matrim. L. 7. D. 103. Butrio, & alios variè sentientes.* Impotentia superveniens non solum matrimonio consummato, sed etiam tantum rato, ipsum non dirimit. *c. 18. 32. q. 5. c. 25. 32. q. 7.* quia indissolubile est, & matrimonium ratum solvitur quoad vinculum, solum per professionem Religiosam, & dispensationem Pontificis, ut expressè habetur in L. 4. tit. 8. p. 4. & D. Bonav. in 4. D. 34. art. 2. q. 2. & Scot. ibid. Sanch. de Matrim. lib. 7. D. 102. n. 3. Casropal. & alij. Et text. in c. 3. b. 1. & in c. 18. 32. q. 7. In quibus matrimonium contractum ob impotentiam dissolvitur, intelliguntur de impotentia ante matrimonium. Nam licet matrimonium nequeat cum tali impotentia contrahi, potest cum ea perseverare: facilius enim jura conservantur, quam adquiruntur; *arg. L. 8. ff. de His, qui sui. c. 25. 32. q. 7.* Et quidem si impotentia tantum sit ad generationem, cum obtineatur finis matrimonij secundarius, scilicet, remedium concupiscentiae: conjugibus licet usus matrimonij perinde, ac si nullam haberent impotentiam, adeo ut mulier, quae factum semper mortuum, & cum vitae periculo ederet, possit reddere, & petere debitum. *Sanch. de Matrim. lib. 7. D. 102. ex n. 72.* Imò & tenetur marito petenti reddere ex obligatione ipsius contractus, alijs gravissimè maritum deciperet, invitum obligando ad reddendum sine jure petendi: nisi bona fide contraxisset, & velit à marito, quoad torum separari. Si impotentia coeundi certa sit, conjugibus licet tactus non impudici; oscula, amplexus, &c. in amoris signum, etiam si per accidens sequatur pollutio, quae non imputatur jure suo utenti, dum absit consensus in illam. Si haec impotentia proveniat ex testium, vel feminis defectu, licet conjugibus petere, & reddere; quia per accidens est non posse verum semen effundere, & obtrinetur finis secundarius matrimonij, qui est sedare concupiscentiam.

*Sanch. de Matrim. lib. 7. D. 102. ex n. 6.* Si tamen cum potentia seminandi conjugatur impotentia fundendi, vel recipiendi semen in utero foemineo, vel quia foemina valde arcta sit; vel quia vir sit truncatus membro virili, vel quia hoc habeat foramen, quo semen effundatur, vel alia simili causa: tunc non licet coitus, quippe cum extra vas semen effundatur, esset pollutio, quae nullo modo coonestari valet. *Sanch. de Matrim. lib. 9. D. 17. ex n. 18.* Si impotentia est dubia, quandiu est spes posse perficere, licet copulam procurare, quamvis per accidens, & praeter intentionem sequatur seminatio extra vas, quae conjugibus non imputatur ad culpam, quia suo jure utuntur. *Sanch. de Matrim. lib. 9. D. 17. n. 20.*

133 Impotentia coeundi, sive accidentalis, sive naturalis, vel absoluta, vel respectiva, si sit perpetua dirimit matrimonium. *c. 1. & seqq. h. r. c. fin. 33. q. 1. Sum. Pontif. Sixt. V. in motu propria. Cum frequenter, 27. Jun. 1587. L. 2. tit. 8. p. 4.* Quippe de essentia matrimonij est tradere jus saltem remortui ad copulam conjugalem, per quam fiant conjuges una caro. *Gen. 2. v. 24. Et 1. Cor. 7. v. 3. Uxori vir debitum reddat: similiter autem, & uxor viro: mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir.* Et cum hoc impotenti, semper, & ubique, saltem respectu illius conjugis, impossibile sit, non potest se ad hoc obligare; nam impossibile nulla est obligatio. *L. 185. ff. de Reg. jur. c. 6. eod. in 6.* Et haec ratio probat, Jure Naturali esse nullum tale matrimonium, ut tenent *D. Thom. in 4. D. 34. q. un. art. 2. ad 1. D. Bonavent. & Scot. ibid. Abulens. Sylv. Palacios, Barbof, in c. 2. b. 1. n. 3. Sanch. de Matrim. lib. 7. D. 98. n. 27. Ponce. L. 7. cap. 60. n. 1. & alij contra D. Antonin. 3. p. tit. 1. cap. 15. §. 3. Palud. Major. & Armil. qui defendunt, jure tantum Ecclesiastico impotentiam dirimere matrimonium. Quod si mulier, quae contraxit cum impotentia perpetua per miraculum sanetur; adhuc est nullum matrimonium, nisi novo consensu renovetur. Nam quod ab initio vitiosum est tractatu temporis non convalescit. *L. 29. ff. de Regul. jur. c. 18. eod. in 6.* similiter si arctitudo foeminae sanari possit per sectionem cum periculo vitae, & ipsa sit parata sectionem pati, adhuc est nullum matrimonium ex impotentia. *c. 6. b. 1. L. 2. tit. 8. p. 4.* Nec maritus eam sectionem expectare tenetur, sed potest separationem petere: ac deinde aliud*



aliud conjugium inire. *Sanch. de Matr. L. 7. D. 93. n. 20.* si mulier, quæ videbatur archa fiat Religiosa, & ejus conjux cohabitabat aliud matrimonium, etiamsi postea appareat mulier potens, sustinetur secundum matrimonium, quia primum, utpote ratum tantum per professionem dissolutum est. *c. 2. c. 7. de Convers. conjugat.*

134 Impotentia temporalis, undecumque proveniat, non dirimit matrimonium. *c. 6. b. t.* Nam ea non reddit conjuges incapaces absolute ad copulam conjugalem, ad quam se obligant, sed tantum ad tempus, sicut potest se obligare ad solvendum, qui de presenti non est solvendo, si spes sit, posse in futurum solvere. Et etiamsi talis impotentia ignoretur ab altero contrahente: postea tamen taliter impotens peccare, eam impotentiam, si diu esset duratura, non detegendo compari: secus si aliunde jam contrahens sciret: quia qui certus est non indiget certiorari. *c. 31. de Reg. jur. in 6. Sanch. de Matrim. lib. 7. D. 92. ex n. 2.* Hinc, si maleficium non potest tolli, nisi per miraculum, vel aliud maleficium, quia tunc impedimentum censetur perpetuum, dirimit matrimonium. *c. fin. 33. q. 1. L. fin. tit. 8. p. 4.* si tamen potest tolli per exorcismos Ecclesie, vel alio modo licito, est temporale, & non dirimit. In dubio censetur perpetuum, si post experientiam triennem non poterint conjuges copulam habere. *c. fin. b. t. D. Thom. in 4. D. 34. q. un. art. 3. ad 3. & D. Bonac. ibid. D. Anton. Abul. Palac. Sanch. de Matrim. lib. 7. D. 94. ex n. 8.* Si arctitudo foeminae absque periculo vitæ, & medijs licitis potest tolli, cum hæc impotentia ex se temporalis sit, subsistit matrimonium, quamvis foemina curationem renuat. Si Medici dubitant, an sit periculum vitæ, subesse tale periculum censendum est. *Sanch. de Matrim. lib. 7. D. 93. n. 15.*

135 Qui cum impotente contraxit, sive ignorato, sive cognito ab altero, vel utroque conjugate, impedimento, non tenetur in matrimonio permanere, adhuc in vita sociali. Nam cum contrahentium mens esset se ad matrimonium obligare, non tamen ad vitam socialem: non debet extendi obligatio ultra eorum intentionem; arg. *L. 19. ff. de Reb. Credit.* Nec enim præsumitur, eos voluisse facere talem conventionem, qua valeret ad vitam socialem ea obligatio, si ad matrimonium valere non potuit: cum

hæc præsumptio obligationem valde onerosam, & periculofam induceret. *Sanch. de Matrim. lib. 7. D. 97. n. 10. c. 12.* Possunt tamen, si communi consensu velint, habitare in matrimonio, non ut conjuges, sed ut fratres. *c. 4. c. 6. b. t.* dum ablit periculum incontinentie. Nam cum conjuges non sint, eis non licet id, quod alijs solutis non liceret. Quod si hoc periculum subsistit, ut regulariter est in juvenibus, auctoritate Ecclesie sunt separandi. Et ita decrevit *Sixtus V.* motu proprio circa matrimonia Eunuchorum edito. *L. 1. tit. 9. p. 4. & ibid. Gregor. Lopez, Sanch. de Matr. L. 7. D. 97. n. 4.* Quando à principio cognita impotentia in socialem vitam conveniunt, ad mutua obsequia tenentur, seclitum tamen semper incontinentie periculo: quin etiam verum iniri matrimonium asserunt. *D. Antonin. Magist. Sent. in 4. D. 34. cap. 1. Meain.* quibus favet *D. Thom. in 4. D. 34. q. un. art. 2. ad 4. & clariv. in 3. p. 9. 29. art. 2.* & latè propugnat *Ponce de Matr. L. 7. ex cap. 56.* matrimonium tamen non esse constat ex *c. 4. b. t.* ubi dicitur, viros, qui cum arctis, & impotentibus contraxerunt, non posse eas, ut uxores habere. Et motus proprius *Sixti V.* circa Eunuchos plurimum huic sententia favet. Et habetur in *L. 1. tit. 9. p. 4. Perosi quæstionem callas ut embargo, è vitæ in uno, non como marido, è mager para ayuntarse carnalmente, mas como hermanos puedenlo hacer.* Et *ibid. Gregor. Lopez.* Nam matrimonium natura sua ordinatur ad propagationem generis humani. *Gen. 2. v. 24. c. 12. 31. q. 1. c. 11. Præsumpt. D. Thom. in 3. p. 9. 29. art. 2.* & debet dari mutua traditio inter conjuges in corpora ipsorum ad actus conjugales: quæ traditio est impossibilis eis, qui physica impotentia laborant. *Ira Abul. in 3. Reg. c. 2. q. 26. Soto, Valent. Toledo, L. 7. Sum. cap. 12. n. fin. Sylva, Navarr. Sanch. de Matrim. lib. 7. D. 97. n. 2.* Et latè *B. Virgo* saltem virtualiter consentit in obligationem suam corpus tradendi ad actus conjugales, si exigenterur; sed quia ex Divina revelatione erat certa, non esse exigendos, erat absque omni periculo violandi votum. *c. 3. 27. q. 2.* Et hæc ratione verum fuit, ejus matrimonium cum *B. Josepho*, ut ait *D. Thom. in 3. p. 9. 29. art. 2.* Qui dubitat, an potens sit, nequit licite contrahere matrimonium, antequam deponat dubium, quoniam injuriam infert Sacramento, illud periculo nullitatis exponendo: & etiam con-

conjugi, cui se obligat ad actus, de quibus rationabiliter dubitat, an fornicarij, an conjugales sint. *Sanch. de Matr. L. 7. D. 103. n. 10.* contra *Palacios.* Si tamen hoc dubio stante defacto contraxerunt: etiam cum mala fide ex utraque parte, cum discuti necesse sit, an valeat, vel non tale matrimonium, & non possit alio modo exquiri, quam habita copula; siquidem nondum constat de impotentia, licet sic contrahentibus copulam habere, rãm reddendo, quam petendo. *Sanch. de Matr. L. 7. D. 103. n. 10.*

136 Quando ex maleficio procedit impotentia, nullo modo potest alio maleficio tolli; quia maleficium est intrinsecè malum. *c. 7. 26. q. 2.* & non sunt facienda mala, ut eveniant bona; juxta *Apostol. ad Rom. 3. v. 8. c. 2. de Sortilegijs. D. Thom. in 4. D. 34. q. un. art. 3. ad 3.* & quamvis in *L. 4. C. de Malef. & in L. 3. tit. 23. p. 7.* permittantur uti arte Magica ad tollenda maleficia impotentiam inducentia, intelligitur tantum in foro externo, & civili, quatenus tale delictum non punitur. *Greg. Lop. ibid.* ac proinde, non licet à maleficio maleficij destructionem petere, quamvis ipse parus aliunde esset ad solvendum maleficium maleficio. Nam esset ejus peccato cooperari, ut contra *Aureol. & Angel.* docent *Albert. Magn. Sylv. Soto, Palac. Delrio, lib. 6. Disquis. Magic. cap. 2. sect. 1. Navarr. Covarr. Sanch. de Matr. lib. 7. D. 95. n. 7. & comm. DD.* sed debet recurri ad remedia spiritalia, & supernaturalia, scilicet, orationem, Dei invocationem, exorcismos, & alia hujusmodi. *c. fin. 33. q. 1.* Aliquando tamen accidit, quod sine novo maleficio, sed precise destruendo, vel removendo signum, cui alligata est impotentia ex Decemone maleficio, possit restitui potentia: & tunc licitum est tale signum tollere, vel petere à maleficio ejus destructionem, cum hæc, sine novo peccato, & maleficio possit præstare. Nec remotio est ex se mala, nec ex fine, quia non fit animo communicandi cum Decemone, vel cum invocandi, sed precise removendi impedimentum. Et sic potest intelligi. *L. 3. tit. 23. p. 7.* Imò *Judex, & Confessor* ad talem remotionem deberent in utroque foro maleficium obligare. *Scot. in 4. D. 34. q. un. Cajet. Sylv. Navarr. Sanch. de Matr. lib. 7. D. 96. n. 3. Gonz. in c. 5. b. t. n. fin. & alij.* Non tamen licet hoc maleficium tollere per remotionem signi, in qua nempe novum pactum esset inclusum

ad restituendam potentiam. Nam tunc remotio signi esset secundi pacti approbatio, & usus. *Sanch. de Matrim. lib. 7. D. 96. n. 1. Gonz. in c. 5. b. t. num. fin.* Quando maleficium potest utri medijs licitis ad removendum maleficium, potest impotens petere ab eo maleficij destructionem, quamvis petenti constet, eum medio illicito usurum. Hæc namque culpa ipsi maleficio est imputanda, non tamen petenti: sicut licet ab infideli juramentum, ab usurario mutuum petere, licet petenti constet, infidelem juraturum esse per falsos Deos, & usurarium sub usuris mutuaturum; arg. *c. 6. de Jur. jurand.* ita contra *Cajet. & Delrio*, tenent *Sanch. de Matr. lib. 7. D. 95. n. 12. & alij.* Quando verò dubitatur, an maleficus possit tollere maleficium aliquo modo licito, cum præsumptio sit contrarium, non licet ab eo petere maleficij destructionem, nisi petens certus sit, illum aliquod medium licitum habere. *Sanc. de Matr. lib. 7. D. 95. n. 13.*

137 Si impotentia proveniat ex arctitudine foeminae, & hæc arctitudo per incisionem sine periculo mortis tolli possit, vel saltem sine periculo gravissimæ infirmitatis tenetur mulier talem incisionem pati, etiam si gravis molestia, vel dolor sequi debeat: quia forte aliquo cauterio sit utendum, obligatione reluctantem ex matrimonio, quod validum est: siquidem impotentia non est perpetua, & mulier tenetur se reddere aptam ad usum conjugalem; ut non privet maritum jure suo. Sic contra *Durand. Palac. Ponce de Matr. L. 7. cap. 62.* tenent *Soto, Enriq. Rodrig. Sanch. de Matrim. lib. 7. D. 93. n. 32. secuti D. Thom. in 4. D. 34. q. 1. art. 3. ad 5. ibi: Si non possit implere carnalem actum cum Virgine, & possit cum corrupta, tunc medicinaliter aliquo instrumento possit claustra pudoris frangere, & si conjugi: nec esset hoc contra matrimonium, quia non fieret ad delectationem, sed ad medicamentum.* Si non possit talis arctitudo sine periculo mortis, vel gravissimæ infirmitatis tolli, non tenetur mulier incisionem pati: nec cum tali periculo censetur ad debitum conjugale teneri. Nec hanc incisionem tenetur pati cum periculo mortis, vel gravissimi morbi, ut oblato virgineo signaculo apta reddatur virili congressui. Tenetur tamen eam pati, si mortis periculum, vel gravissimi morbi non timeatur, licet cum magno dolore, & molestia debeat fieri, etiamsi ex parte viri hic defensus



conferat, quia est sine ejus culpa, & naturali ejus imbecillitati nequit mederi, nisi reddendo foemina ipsi aptam. Ita contra aliquos tenent *Sanch. de Matrim. lib. 7. D. 93. n. 34. & alij*. Et probatur ex L. 2. tit. 8. p. 4. ibi: *Las mageres, que son tan estrechas, que por masfrias que les fagan sin peligro grande de ella, &c. & ibid. notat. Greg. Lop.* Si divortio facto ob arditudinem foeminae, haec contrahat cum alio, & ab ipso carnaliter cognoscatur, debet restitui primo, quippe creditur, non fuisse impotentem talem foeminam; nisi ex inspectione membri utriusque viri constet, primum numquam, se solo potuisse illam cognoscere, quia tunc respectu primi viri fuit nullum matrimonium: quoniam laborabat impotentia perpetua. L. 3. tit. 8. p. 4. Deinde. Hermaphroditus, qui utroque sexu praeditus est, potest matrimonium contrahere secundum sexum, in quo potens est ad copulam: quod si secundum utrumque potens absolute sit, licet in aliquo sit debilitas ejus potentia, in electione ejus erit secundum masculinum cum foemina, vel secundum foemineum cum mare contrahere. Profecto ut *Ovidius* ait de Salmace, & Hermaphrodito: *Nec duo sunt, sed forma duplex: nec foemina dicit, nec puer, ut possit, neutrumque, & utrumque videtur.* Sed uno electo, altero nequit uti: imò debet sub juramento alteri renuntiare; arg. c. 5. de *Cleric. conjugat.* Nam valde indecens esset, ut nunc uno, nunc altero sexu uteretur. Si dubium est, qualis praevalcat, à Medicis, & peritis ex inspectione judicandum erit: vel potius ejus dicto standum est. L. 10. ff. de *Statu homin.* *Barbof. in c. 2. b. t. n. 5. Sanch. de Matr. lib. 7. D. 106. n. 1. & 6.* Quod si Hermaphroditus contraxit ut foemina, quia praevalcat in sexu foemineo, postea autem praevalcat sexus virilis, ita ut non possit coire, ut mulier; sed tantum ut vir, finitur matrimonium, quamvis consummatum: sicut per mortem finiretur, siquidem inter duos viros nequit matrimonium consistere: ac proinde uterque possit tanquam vir cum alia contrahere. *Lacr. lib. 6. p. 3. num. 801. Averfa, & alij.* Quod à fortiori dicendum est, si vir mutetur in foeminam, vel foemina in virum convertatur, ut aliquoties accidisse dicitur, & de quo late agi *Verricell.* Sane Poeta bis sexum mutasse Tiresiam decantant: *Venus huic erat utraque nota: deaque viro factus (mirabile) foemina septem egerat autumno: per-*

*cussis anguibz isflem, forma prior rediit, genitivaque venit imago.*

138 Matrimonium, quod impotentia obstante contractum est, quom nullum sit, dissolvi debet: non tamen autoritate propria conjugum ob arduitate materiae: & ne detur occasio collusionis, & dissolutioni matrimoniorum; sed autoritate Ecclesiae; arg. c. 3. de *Divort.* interim tamen si impotentia certa est, debent ab attentione copulae: imò, & à tactibus abstinere. Sane potest adversus matrimonium reclamare, non solum vir, etiamsi ipse sit impotens, sed etiam foemina impotens, ut contra aliquos tenent *D. Amon. 3. p. tit. 1. c. 12. S. 1. Sanch. de Matr. lib. 7. D. 114. n. fin.* Et habetur in L. 6. tit. 8. p. 4. quia ipsius interest separari à viro non suo, nec ipsi subijci, & dotem recuperare. Et regulariter, quocumque tempore audiuntur; praecipue, quando uterque impedimentum factum, & quando signa impotentiae manifesta sunt. c. 6. c. fin. b. t. Quod si forte post aliquos annos; imò, & post duos menses mulier reclamet, marito impedimentum negante: tunc ipsa non auditur, sed potius viro, quia est caput familiae sub juramento creditur. c. 1. b. t. L. 6. tit. 8. p. 4. At vero concedendum erit triennium ad experientiam impotentiae. Et sic concordantur *textus in c. 1. c. 6. c. fin. b. t.* qui prima facie oppositi apparent. *Barb. in c. 1. b. t. n. 8. Sanch. de Matrim. lib. 7. D. 109. n. 11. & 14. Ponce, & alij.* Et quamvis in L. 6. tit. 8. p. 4. dicitur, quod mulieri non est concedendum triennium, nec attendendam, notat *Greg. Lop. V. Ni debe ser oida*, quod hoc intelligitur, nisi ipsa, per certa signa ostendat frigiditatem viri: nam cum haec Lex fundetur in praesumptione propter taciturnitatem, ipsa praesumptio per aliam fortioiorem praesumptionem eliditur. *Barbof. in c. 1. b. t. n. 8.* Ut Judex possit matrimonium nullum declarare ob impotentiam, debet haec plene probari. Et quidem regulariter ad hanc probationem debet fieri corporum inspectio per Medicos, & obstetrices. c. 4. c. 5. 27. q. 1. c. 6. c. fin. b. t. c. 4. c. 14. de *Probat.* L. 3. tit. 8. part. 4. Sane Medici inspectionem viri faciunt, obstetrices inspectionem foeminae ob naturalem decentiam. c. 6. c. fin. b. t. c. 4. c. 14. de *Probat.* Nisi punctum controversiae earum scientiam superet; v. g. si agatur, an foemina per inspectionem possit reddi apta ad copulam, & an incisio sine periculo vitae possit fieri: nam tunc

Medici, & Chirurghi sunt adhibendi, qui sub juramento deponent. c. 3. b. t. *Sanch. de Matr. L. 7. D. 113. n. 21.* vel etiam, praeter obstetrices, ad foeminae inspectionem possunt adhiberi aliae foeminae, dum tamen sint honestae, ne facile fallum deponent. c. 14. de *Probat.* c. 6. c. fin. b. t. perite in arte, nec nimis juvenes ob defectum experientiae: nec nimis senes ob defectum visus: debentque à judice eligi, & deponere sub juramento, licet non de omnimoda certitudine, saltem de verisimilitudine. *Sanch. de Matr. lib. 7. D. 113. Joann. Andr. & alij.* Et duz sufficienti; arg. c. 23. de *Testib.* Nam licet in c. 4. de *Probat.* septem fuissent adhibita, non tamen omnes erant necessariae. *Sanch. de Matr. L. 7. D. 109. num. 6.* Eligere has matronas pertinet ad Judicem, & etiam à partibus possunt eligi; & possunt à partibus reculari. c. 14. de *Probat.* earum depositio magis est iudicium, quam testificatio. Et cum in hac re difficillima, & ardua omnem diligentiam adhiberi oporteat, ut tales matronae de virginitate deponent, non sufficit, si oculis videant mulieris verenda, sed est necessarium, quod perspiciant, atque sufficienter, & sagaciter manibus tangant, ut deducitur ex c. 14. de *Probat.* ibi: *Quia saepe manus fallitur, & oculus obstetricum.* Et quia in matrimonij valore investigando, probationes potius debent esse superfluae, quam diminutae, Judex facit, quod mulier, de cujus virginitate inquiritur in balneo aquae competenter calidae tanto tempore nuda perseveret, quantum sit necessarium, ut si forte glutino, vel alio medicamento apposito verenda illius compressa sint, atque coarctata, ut virgo appareat, id possit liquefieri. Sic *Hofstiens. Joann. Andr. Gregor. Lop. in L. 5. tit. 8. part. 4. V. Mageres. Sanch. de Matr. lib. 7. D. 113. n. 11. & quamvis Ponce de Matrim. lib. 7. cap. 63.* Intendat hoc inspectionis medium repellere, cum hoc clarè sit approbatum à Jure Canonico, & Regio, solum probat, quod majori decentia possibilibi hoc fiat.

140 Facta ergo inspectione, si ex certo physice constat impotentia, quia mas caret virilibus, vel testibus: vel foemina ad omnem coitum sit arcta, statim matrimonium dissolvitur: quippe nullum est. c. 5. b. t. & nullo modo potest talis copula inter non conjuges permitti. *Sanch. de Matr. L. 7. D. 107. n. 3. Barbof. & Gonz. in c. 5. b. t. Greg. Lop. in L. 6. tit. 8. p. 4.* Si tamen signa non

sint certa physice, sed moraliter certa, seu verisimilia, debent conjuges jurare, se coire posse, vel non posse. Et septem consanguinei conjugum, vel vicini jurabunt, se credere, dictos conjuges veritatem dicere. Et hoc dicitur: *Cum septima manu propinquo- rum jurare.* Quod si horum depositio conformis sit Medicorum, & peritorum depositioni, cum jam censetur completa probatio, statim dissolvitur matrimonium. c. 6. c. fin. b. t. Si depositio conjugum à peritorum depositione discordet: vel quando signa etiam ex depositione peritorum sunt dubia, triennium conceditur conjugibus ad experiendum, an possint matrimonium consummare. c. 5. b. t. L. 6. tit. 8. p. 4. *Barbof. in c. 5. b. t. n. 2.* Et tunc jurabunt, quod operam commixioni dabunt, quin fraus, vel impedimentum ex altera parte interveniat. L. 5. tit. 8. p. 4. *ibid. Gregor. Lop.* Hoc triennium debet esse continuum. c. fin. b. t. saltem moraliter: nec obstabit aliqua brevis absentia: & tempus interpolatum erit supplendum, quando arbitrio Judicis sit notabile. *Sanch. de Matr. L. 7. D. 111. n. 2. & 6. Barbof. & Gonz. in c. 5. b. t. n. 8.* Et non solet numerari, quousque à conjugibus sit adimpleta libertas plena, quae 18. annis in mare, & 14. in foemina completur. Nam usque ad eam aetatem magis ex debilitate aetatis, & complexionis quam ex impotentia videtur nasci defectus coeundi. *Sanch. de Matrim. L. 7. D. 104. n. 18. Barbof. & Gonz. in c. 5. b. t. n. 8.* Et licet de rigore juris triennium ab ipsa attentione copulae jam pubertate completa, esset numerandum. c. 5. c. fin. b. t. *Sanchez de Matr. lib. 7. D. 110. n. 4.* ex praxi Curiae Romanae à Decreto Judicis computatur. Et ita saepe à Rota decisum testatur. *Gonz. in c. 5. b. t. n. 8.* Triennio quidem elapso, si uterque affirmet, alterum esse impotentem adhuc ipsi deserunt juramentum cum *septima manu* propinquo- rum, aut vicinorum, vel aliorum bonae famae, ut sic suspicio collusionis tollatur; & cautius in re tam ardua procedatur. Et tunc declaratur matrimonium nullum, & potenti conceditur licentia ad aliud matrimonium contrahendum. c. 5. c. fin. b. t. L. 5. tit. 8. p. 4. Et quidem septem testes ex qualibet parte debent adhiberi: ita ut ex utraque quatuordecim sint. Quod si tot, & tales haberi non possint minor numerus sufficere arbitrio Judicis. *Sanch. de Matr. lib. 7. D. 108.* Si vir, vel



mulier asserat, matrimonium esse consummatum, altera parte negante asserenti creditur, & pro matrimonio, in cuius possessione sunt, pronuntiatur; *arg. c. 67. de Regul. jur. in 6. Sanch. de Matr. lib. 7. D. 109. n. 2. & 9.*

141 Impotentia cocundi cognoscitur, ex eo, quod vir habeat membrum flaccidum, vel valde diminutum, & exile; vel etiam valde magnum, vel ob tortum, vel rugosum; vel testes, aut nullos, aut valde exiguos, vel quod mulier sit valde arcta, & obstrueta; vel aliter sint impotentes ob diversos morbos, quos refert *Gonz. in c. 3. b. t. n. 7.* Quod si nullum vitium apparens habeat, cognoscitur frigiditas ab effectu; si nunquam membrum erigatur. Etiam magnum signum frigiditatis est, si vir non appetit venerea, nec sentit stimulos carnis, cum hoc adeo naturale sit, ut vix ullus ab eis eximatur. Non tamen censetur frigidus, qui in vigilia, vel in somnis aliquando polluitur: vel si aliquando ejus membrum erigatur. Quod si vir appetat coitum, & virgam erigit; sed quando ad actum venereum appropinquat subito relaxantur, & concidunt organa, nec potest complere, & postea iterum rigent, est iterum copulari nitatur, denuo laxantur, cum id nequeat provenire ex frigiditate viri, nec possit naturaliter accedere, est signum, talem impotentiam ex maleficio oriri, quod magis constabit, si ad aliam foeminae possit accedere. Sic *Sanch. de Matr. lib. 7. D. 94. n. 5. & 6. plures citans.* Qui probata impotentia absoluta, est separatus a sua uxore Ecclesiae auctoritate, cum nulla alia potest contrahere, quod si contrahat, ex *Text. in c. 5. b. t.* erit reus perjurij. Et tale matrimonium est dissolvendum, vel quia vere impotens est: vel si non est impotens, quia obstat prius matrimonium. *c. 5. c. fin. b. t.* Et etiam si prior uxor obisset, debet separari, donec ipse probet, male fuisse iudicatum, cum ipse potens sit. *Sanch. de Matr. lib. 7. D. 99. num. 6.* si ob impotentiam respectivam dissolutum est, etiam si impotens per miraculum potens reddatur, non potest cogi ad antecedens matrimonium, quippe nullum est, multoque minus, si jam aliud matrimonium est contractum.

142 Potest tamen accidere, quod dissolutum matrimonio ob impotentiam absolutam, postea appareat potens, qui impotens credebatur: & tunc quocumque tempore hoc appareat restaurandum

est prius matrimonium, etiam si novum contractum sit. *c. 6. b. t. L. fin. tit. 8. p. 4.* Quia Ecclesia fuit decepta, & ex errore protulit sententiam, quae contra matrimonium nunquam transit in rem iudicatam: etiam si ab ea non appelletur. *c. 7. de Sentent. & Re iudicat.* potest tamen, potens respuere cohabitationem cum altero tanquam adultero, si illicitam copulam habuit. *c. 6. b. t. Sanch. de Matr. lib. 7. D. 101. n. 3. Abb. Laym. & alij.* Si impotentia, quae vere erat perpetua, per miraculum, vel Artem Magicam cesset, non restauratur prius matrimonium: siquidem vere nullum fuit. *c. 6. b. t.* secus si tollatur per exorcismos, vel orationes. *c. fin. 33. q. 1. Sanch. de Matrim. lib. 7. D. 94. n. 10.* Denique ferè totam materiam breviter comprehendit. *D. Th. in 3. p. Supp. q. 58. art. 1. ibi: Responded dicendum, quod in matrimonio est contractus quidam, quo unus alteri obligatur ad debitum carnale solvendum; unde sicut in alijs contractibus, non est conveniens obligatio, si aliquis se obliget ad hoc, quod non potest dare, vel facere; ita non est conveniens matrimonio contractus, si fiat ab aliquo, qui debitum carnale solvere non possit. Et hoc impedimentum vocatur impotentia cocundi, nomine generali, quae quidem potest esse, vel ex causa intrinseca, & naturali, vel ex causa extrinseca, & accidentali, sicut per maleficio, de qua post dicitur. Si autem sit ex causa naturali, hoc potest esse dupliciter, quia vel est temporalis, cui potest subveniri remedio medicina, vel processu atatis; & tunc non solvit matrimonium: vel est perpetua, & tunc solvit matrimonium: ita quod ille ex parte cuius allegatur impedimentum perpetuo maneat absque spe conjugij: alius nubat, cui vult in Domino. Ad hoc autem cognoscendum, utrum sit impedimentum perpetuum, vel non perpetuum, Ecclesia tempus determinatum adhibuit, in quo unus rei posset esse experimentum: scilicet, triennium, ita quod, si post triennium, in quo fideliter ex utraque parte dederunt operam carnali copula implenda, inveniantur matrimonium, non esse consummatum, iudicio Ecclesiae dissolvitur. Et tamen in hoc quandoque Ecclesia errat, quia per triennium, quandoque non sufficienter experiri potest perpetuitas impotentiae. Unde Ecclesia si se deceptam inveniat, per hoc quod ille, in quo erat impedimentum invenitur carnalem copulam, cum alia, vel cum eadem perfecisse, reintegrat matrimonium praecedens, & dirimit secundum; quomodo*

## de Matrimonio contracto contra interdictum Ecclesiae. 91

de ejus licentia sit factum. Et in art. 2. ait: Ideo distinguendum est, quia impotentia cocundi ex maleficio, aut est perpetua, & tunc matrimonium dirimit, aut non est perpetua, & tunc non dirimit: & ad hoc experiendum eodem modo Ecclesia tempus triennij praefixit: tamen haec differentia est inter maleficio, & frigiditatem: quia qui ex frigiditate, est impotens, sicut est impotens ad unam, ita ad aliam, & ideo, quando matrimonium dirimitur, non datur licentia ei, ut conjugatur alteri, sed ex maleficio homo potest esse impotens ad unam, & non ad aliam, & ideo, quando iudicio Ecclesiae matrimonium dirimitur, utrique datur licentia, ut alteram copulam quaerat.

### TIT. XVI.

## De Matrimonio contracto contra interdictum Ecclesiae.

143 **U**NUM ex impedimentis impediens matrimonium est interdictum, seu prohibitio Ecclesiae, qua jubet, matrimonium non contrahi, vel quia impedimentum latere suspicatur, vel quia sponsalia praecesserunt, vel quia rixae, inimicitiae, vel alia incommoda timentur. *c. fin. de Cland. Desponsat. c. 1. c. 2. b. t.* Tunc enim Parochus potest, & debet matrimonium extrajudicialiter interdicere: praesertim si matrimonio impedimentum opponatur, donec causa judicialiter discutatur a Iudice Ecclesiastico. *c. fin. b. t. L. 18. tit. 2. p. 4. Sanch. de Matr. lib. 7. D. 6. num. 6. Gonz. in c. fin. b. t. n. 2.* Episcopus, Capitulum Sedevacante, & utriusque Vicarius, & quicumque Praelatus Ecclesiasticus habens jurisdictionem, quasi Episcopalem in populum, & Clerum certi territorij possunt interdicere judicialiter matrimonium, quod si contra tale interdictum contrahatur, validum quidem erit. *c. 1. c. 2. b. t.* illicitum tamen, quippe est contra praecipuum Ecclesiae in re gravi; *arg. c. fin. b. t. Barbof. in c. 2. b. t. Sanch. de Matr. lib. 7. D. 17. n. 1.* Quin, & matrimonium contractum contra interdictum S. Pontificis validum est. *c. 1. c. 2. b. t.* etiam post *Trid. Barbof. in c. 13. de Desponsat. Impub. n. 3. & 5.* Et quavis in *c. 4. de Sponsa duor.* irritetur matrimonium contra interdictum celebratum, non irritatur praesens, quia

est contra interdictum; sed quia erat contra matrimonium antecedens contractum: irritaretur tamen, si Pontifex non solum voluit illud simpliciter prohibere, seu interdicere, sed etiam voluit illud irritare, clausula irritante speciali, vel generali adjecta. *c. 13. de Despons. Impub. Sanch. de Matr. lib. 7. D. 2. c. n. 3. Gonz. in c. fin. b. t. n. 2. & alij.*

144 Tempore feriato prohibentur nuptiae, quia cum tempus sacratius sit, & jejunijs, orationi, & poenitentiae ab Ecclesia destinatum, non decet homines nuptias solemnes celebrare: nec est conveniens luctibus ille color. Nam in toto Orbe mos invaluit, nuptias tripudijs, choreis, musicis, convivijs, alijsque laetitiae signis celebrandi, ut optime quidam depingit: *Tedas Hymeneus, amorque praecipuum: largis satiantur odoribus ignes, servaeque dependent testis, & ubique lyraeque, tibiaeque, & cantus animi felicitia lati argumenta sonant: reseratis aurea valvis, atria tota patent, pulchroque instructa paratu Cepheni proceres ineunt convicia Regis.* Et quidem jure antiquo tempus feriatum erat totum illud, quod est inter primam Dominicam Adventus, quae incipit, vel a primis vespers juxta *Sanchez de Matr. lib. 7. D. 7. n. 2.* vel a media nocte Dominicæ juxta *Ponz. de Matr. lib. 6. cap. 8. n. 5.* & Epiphaniam. Et inter Dominicam Septuagesimae, & octavam Paschae. Et inter feriam 2. Rogationum, & octavam Pentecostes. Et quae, vel tres hebdomadae ante festum S. Joannis Baptista. *c. 8. c. 9. 33. q. 4. c. 4. de Ferijs, L. 18. tit. 2. p. 4.* Hodie est hoc tempus restrictum a *Trid. Sess. 24. de Ref. Matr. cap. 10.* Et est ab Adventu, usque ad Epiphaniam. Et a festo 4. Cinerum, quae a media nocte feriae tertiae computanda est, usque ad octavam Paschae inclusive. Non prohibet Ecclesia hoc tempore denuntiationes, quia ex nullo Textu constat prohibitio, nec matrimonium, si sine solemnitate, & pompa fiat, ut contra aliquos tenent *Sanch. de Matr. lib. 7. D. 7. n. 12. & alij.* Et probatur *arg. Trid. Sess. 24. de Reform. cap. 10. Et Ritual. Rom. tit. de Sacramentis.* Et declarat *S. Congreg. Trid.* Et expressè habetur in *L. 18. tit. 2. p. 4.* ibi: *Bien pueden hacer desposajas, è matrimonio por palabras de presente.* Nec est prohibitum in illo tempore consummare matrimonium: ut contra aliquos tenent *Nav. Man. cap. 22. in 71. Sanch. de Matr. lib. 7. D. 7. n. 23. & alij.* Solum ergo, prohibet Ecclesia,